



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput I. Ex Concilio a Agath.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)



(o)

# TITULUS XXV.

## De clerico percussore.

### CAPUT I.

*Ex Concilio a Agath.*

**S**I quis in aliquo ecclesiastico <sup>b</sup> gradu sacratus percussor fuerit, corripiatur à crimine; si non emendaverit, deponatur.

NOTÆ.

Concilij, nec in aliquo Concilio, quod hucusque legerim.

- I. a *Agathens.* ] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* Sed hæc verba non reperiuntur inter canones editos ipsius Concilij, nec in aliquo Concilio, quod hucusque legerim. <sup>b</sup> *Gradu sacratus.* ] De gradibus sacris, & à quo tempore subdiaconatus inter eos relatus sit, egi in cap. à multis, de arce, & qualis. 2.

### CAPUT II.

*Gregorius Andrea Episcopo a Tarentino.*

**T**RIBUNAL judicis æterni securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius dignâ eum modo penitentiâ placare contendit. Habuisse te siquidem <sup>b</sup> concubinam, manifesta veritate comperimus, & te illius criminis participationem habere, de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse judicium, hoc tuæ conscientiæ elegimus committendum. Qua de re si in sacro ordine constitutus ejus te permixtione esse recolis maculatum, sacerdotij honore deposito, ad administrandum nullo modo præsumas accedere: sciturus in anima tuâ periculo te ministrare, & Deo nostro sine dubio te reddere rationem, si hujus sceleris conscius, in eo, quo es ordine, celans veritatem, permanere volueris. Unde te iterum adhortamur, ut si te deceptum antiqui hostis calliditate cognoscis, competenti eum, dum licet, penitentiâ superare festines, ne cum eo particeps, quod non optamus, in die judicij deputeris. Si vero hujus reatus tibi conscius non es, in eo te necesse est, quo es, ordine permanere. Præterea quoniam mulierem de Matriculis contra ordinem sacerdotij cædi crudeliter fustibus <sup>d</sup> deputasti, quam licet post octo menses exinde minimè arbitramur fuisse defunctam, tamen quia ordinis tui habere noluisse respectum, propterea duobus te mensibus ab administratione Missarum statuimus abstinere, in quibus ab officio tuo suspensum flere te convenit quod fecisti. Nam valde dignum est, ut postquam te ad vitæ istius tranquillam rectitudinem laudabilium sacerdotum exempla non provocant, salutem correptionis medicina compellat.

NOTÆ.

- I. a *Gregorius.* ] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & apud Burchardum lib. 1. *Decreti, cap. 195.* Carnotensem part. 5. *Decreti, cap. 310.* apud Gratianum in cap. habuisse, 33. dist. & extat textus hic in registro epistolarum D. Gregorii Magni, lib. 2. *indict. 11 epist. 44.* Andreas hic primus fuit hujus nominis Episcopus Tarentinus, de qua diocesi Tarentina egi in cap. 12. de rescriptis. Horum excessuum correctionem delegavit Gregorius Joanni Episcopo Gallipolitanensi sequenti epistola, in hæc verba: *Ex gestis, qua ad nos fraternitas tua direxit, inventum est, Andream fratrem, & Coepiscopum nostrum DD. Gonzal. in Decretal. Tom. 5.*

strum habuisse sine dubio concubinam. Sed quia tacertum est, seam in sacro ordine constitutus contigerit, necesse est ut eum sollicita adhortatione commoneas, ut si positum in sacro ordine cum ea se novit immixtum, ab eo, in quo est, officio quiescat, & nullatenus administrare presumat. Quod si forte conscius sibi hujus rei, peccatum suum suppressens, administrare presumpserit, anima sue periculum divino judicio imminere cognoscat. Matriculam verò, quam fecit fustibus castigare, quamvis exinde post octo menses obisse non credimus, quia tamen eam contra præpositi sui ordinem hujusmodi fecit affligi, duobus hunc mensibus à Missarum solemnitate suspende, ut vel hæc eum verecundia, qualem se de cætero postit exhibere, instituat. Præterea oblata nobis petitione, qua tenetur

M m